UMBRAE

Ante terrae motum anno LXII A.D. Extra Pompeios
Scaena I: In ātriō
Personae: mater, pater, eorum tres filiae, Ampelisca (ancilla).

Fīlia Prima: Mōns Vesuvius est īrātus. Ego sonōs audīvī.
Fīlia Secunda: Ego tremōrēs sēnsī.
Fīlia Tertia: Nōlite timēre, sorōrēs. Larēs nostrī semper nōs servant.
Pater: *(Intrat cum matre et ancilla dona ferentes*)
Tacēte omnēs. nōs laribus nostrīs vīnum et cibum offerimus. Larēs, hoc dōnum vōbīs offerō. Familiam nostram servāte.
Māter: Larēs, hoc dōnum vōbīs offerō. Familiam nostram servāte.
Fīlia Prima: Euge! familia nostra nunc tūta est. Laeta sum.
Fīlia Secunda: Māter, nōs ad urbem Pompēiōs īre volumus. Placetne tibi?
Māter: Minime. sollicita sum quod tremōrēs sēnsī.
Fīlia Tertia: Sed laribus nostrīs crēdimus. Nōlī timēre.
Māter: Mihi nōn placet. Valdē timeō.
Pater: Ego nōn timeō. larēs familiam nostram semper servāvērunt. Īte, puellae. Sed dūcite Ampeliscam vōbīscum.
Māter: Valēte, fīliae. vōs cūrāte. Ego dē vōbīs sollicita sum.

Scaena II: In ātriō
Personnae: mater, pater, Ampelisca.

Māter: Ēheu! Puellae nōn revēnērunt. Eās frūstrā exspectāmus.
Pater: Nōlī timēre. Ancillam fidēlem cum eīs mīsī. Illa eās cūrāre potest. Ecce! Ancilla advenit.
Māter: Quid accidit?
Pater: Ubi sunt puellae? Dīc mihi!
Ampelisca: Domine, domina, mortuae sunt!
Pater: Quid dicis? Mortuae?
Ampelisca: Vērum est. Nōs ad urbem Pompēiōs ībāmus. Trēmōrēs ingentēs sēnsimus. subitō mūrus in puellās dēcidit. Statim periērunt. Ego eās servāre nōn poteram.
Māter: Dūc mē ad eās. Fortasse mortuae nōn sunt! Fortasse iam respīrant.
Pater: Manē! ego tēcum veniō.
Ampelisca: Ēheu! Puellae sine dubiō mortuae sunt. Larēs familiam nostram nōn servāvērunt. (*Exeunt.*)

Post XVII annos, ante Vesuvii montis eruptionem AD LXXIX, in eadem villa .

Scaena III: in atriō
Personnae: alia familia: mater, pater, duo pueri, Ampelisca.

Fīlia Prima : Ampelisca, quamdiu in hāc vīllā habitās?
Ampelisca: (*Digitis suis computat*) Decem … vīgintī … quīnque. *V*īgintī quīnque annōs!
Fīlia Secunda: Curāvistīne aliōs līberōs in hāc villā?
Ampelisca: (*Tristis*) *I*ta vērō. (*Festinanter*) Nunc sērō est. Ad cubiculum īte.
Fīlia Prima: Illī līberī, erantne similēs nōbīs? Erantne pulchrī?
Fīlia Secunda: Bonī?
Fīlia Prima: Pessimī?
Fīlia Secunda: Stultī?
Ampelisca: Satis! Satis! Pater et māter veniunt.
(P*ater et mater intrant.*)
māter: Sērō est, līberī. Ad cubiculum īte.

Fīlia Secunda: Mihi nōn placet.
Fīlia Prima: Ego dormīre nōlō.
Fīlia Secunda: In ātriō manēre volō.
pater: Tacēte! nunc īte.
māter: Valēte, līberī. bene dormīte.
pater: Valēte.
Fīliae Prima et Secunda: Valēte pater; valēte māter.

Scaena IV: In cubiculō
Personnae: illae scaenae tertiae, tres umbrae et mortuae sorores.
(Pueri dormiunt. Tres umbrae apparent et super duo pueros stant..)

umbra I: Līberī, līberī, vōs excitāte.
umbra II: Līberī, līberī, nōs audīte.
umbra III: Līberī, līberī, vōs in magnō perīculō estis.
(Pueri excitant et gemunt cum umbras vident)
Fīlia Prima: Quae estis?
Fīlia Secunda: Quid vultis?
Fīlia Prima: Unde vēnistis?
Fīlia Secunda: Cūr adestis?
umbra III: Nōs sorōrēs sumus. ōlim in hāc vīllā habitābāmus.
umbra I: Mōns erat īrātus. tremōrēs ingentēs sēnsimus. Mūrus in nōs dēcidit. Ancilla fidēlis nōs servāre nōn poterat.
umbra II: Nunc umbrae sumus.
umbra III: (*Remotus strepitus auditur.*) Audīte! mōns iterum est īrātus. Sed familia vestra effugere potest.
umbrae: Valēte, valēte.

(*Umbrae abeunt.*)
Fīlia Prima: Rēs mirābilis est!
Fīlia Secunda: Pater! māter! Ampelisca! statim venīte!
Fīlia Prima: Nōs in magnō perīculō sumus.

(*Mater, pater et Ampelisca apparent, solliciti sunt.*)
māter: Quid accidit?
pater: Estne fūr in vīllā?
Fīlia Prima: Nōs rem mirābilem vīdīmus. Umbrae nōbīs appāruērunt. Dē magnō perīculō nōbis narrāvērunt. Mōns iterum īrātus est. Necesse est nōbīs statim effugere.
pater: Estisne īnsānae?
māter: Pessimi līberī estis. Erant nūllae umbrae.
Fīlia Prima: Minimē, māter, erant trēs umbrae.
Fīlia Secunda: Sorōrēs erant et in hāc villā habitābant.
Ampelisca: Quid dīcis? trēs sorōres?
Fīlia Secunda: Mūrus in eās dēcidit. Ancilla eās servāre nōn poterat.
māter: Hoc est rīdiculum! Vōbīs nōn crēdō.

Ampelisca: (*Plorans*) *D*omina, vērum est.
pater: Īnsāna tū quoque?
Ampelisca: Minimē, ego trēs sorōrēs in hāc vīllā cūrāvī. Ōlim mōns erat īrātus. erant tremōrēs ingentēs. Omnēs puellae periērunt. Ō mē miseram! Eās servāre nōn poteram.
f/f2: Tū es illa ancilla! Rēs mirābilis est!
māter: Larēs nostrī umbrās mīsērunt. Necesse est nōbīs ē vīllā discēdere.
pater: Larēs familiam nostram servāvērunt.
(Levis sonus auditur.)
Fīlia Prima: Umbrae nōs audīvērunt. Fortasse nunc laetae sunt.

VOCABULA NOVA:
cibus-i: comida
curo (1ª): cuidar
decido-is-ere -cidi: caer desde lo alto
dubium-ii: duda
effugio-is-ere-fugi-fugitum: huir
excito (1ª): despertar
festinanter: de prisa
fortasse: (adv) quizá
is ea id: pronombre anafórico
Lar -is: deus domesticus
iterum: (adv.) de nuevo
imperativo de nolo+infinitivo: orden negativa
olim: (adv.) in illo tempore
periculum-i: peligro
Pompei-orum: Pompeya
sentio -is-ire sensi sensum: sentir, notar
sollicitus-a-um: preocupado-a
soror-oris (f.): hermana
statim:(adv.) al punto
tremor-oris: temblor
tutus-a-um: seguro-a

QUAESTIONES:
Scaena I

1) Ubi est familia?
2) Quot personnae in scaena prima adsunt?
3) Cui dona offerunt pater et mater?
4) Quid donum offerunt?
5) Cur laeta est mater?
6) Quid volunt filiae?
7) Cur sollicita est mater?
8) Quis ducit filias ad urbem Pompeios?

Scaena II

1) Quid accidit in atrio?
2) Quis venit ex urbem?
3) Suntne mortuae puellae?

Scaena III
1) Quae est Ampelisca?
2) Quam diu habitat Ampelisca in villa?
3) Qui interrogant Ampeliscam?
4) Quid volunt facere pueri?
5) Quid iubet pater pueris?

Scaena IV

1) Ubi sunt umbrae et pueri?
2) Quid faciunt pueri cum umbras vident?
3) Qui sunt umbrae?
4) Quid dicunt umbrae pueris?
5) Cur mater pueros non credit?
6) Cur plorat Ampelisca?
7) E quo periculo familiam umbrae et Lares servant?

Vocabula disce:

EO IS IRE I(V)I ITUM

ad**eo** >
in**eo >**
circum**eo >**
per**eo>**
ab**eo >**
ex**eo >**
red**eo >**

Etimología:
umbroso-a, penumbra, cebo, tremendo, trémulo-a, tremolante, iterativo-a, reiterar, dubitativo, estulticia, perecer, advenedizo-a, timorato-a, ingente
i*nglés: umbrella, deciduous*

Contenidos gramaticales:

volo, nolo, possum, imperativo, pretérito perfecto indicativo,derivados del eo, adverbios , pronombres

Fuentes:

(http://www.cambridgescp.com/Lpage.php?p=clc^ta^plays)

Diálogo dramático escrito por Pat Story y basado el trabajo de sus estudiantes de Coleridge Community College, Cambridge.

Traducción de acotaciones al latín y actividades sobre el texto: Elena Cano